

# ANDREAE

ALCIATI IURISCONSULTI

de Ponderibus & Mensuris libellus, ad  
clarissimum Iureconsultum, & Cæsa-  
reum Senatorem, D. Hierony-  
mum Archintum Mediola-  
nensem.



VM una de commu-  
nibus studiis uerba fa-  
ceremus, & de ueterū  
mensuris mentio inci-  
disset, dixisti eum tibi  
tractatū perobscurum  
uideri, nec in ea re om-  
nino tibi placere, quæ  
a recentioribus, Budæo, Portioq; tradun-  
tur, quorum alter & si Græce Latineq; do-  
ctus, magnæq; eruditionis uir, quid in hoc  
argumēto difficultatis subesset, diffusissime  
quidem ostenderit, non tamen dissidentes  
simul tot authores conciliarit: alter uero in  
cæteris diligentissimus, hac in re tam suspen-  
sa manu scripserit, ut non multo studiosis  
usui esse possit. Ambo certe in mensurarū  
ponderibus inuicem discrepent, dubiumq;  
relinquant, utri magis adhibenda sit fides.

A ii